

61
Av 6B

MICHAELIS HIERONYMI LEDESMAE, VALENTINI MEdici, de Pleuritide Commentariolus.



VALENTIAE,
Per Ioannem Mey, Flandrum.
1546.

SERENISSIMAE PRINCIPI D. D. MENTIAE A MENDOÇA Duci Calabriæ & Zeneteñ. Michael Hieronymus Ledesma Valeñ. medicus S. P. D.



QVVM viderem, Princeps Serenissima, medicinæ professores temporũ infelicitate solos Forliuienses, Senenses, & Fulginates attingere, eosq; suis discipulis exponendos tradere, nec vnquam ad Galeni Hippocratisve fontes accedere, nisi putri lacunarũ cœno infectos: decreui in Reip. vtilitatem, cui & vitam debebam, & animum, Galeni opera in gymnasio publicè audientibus, quorum, Dei gratia, magnus mihi erat concursus, interpretari. Quo nomine hisce annis, quibus ego hanc prouinciam assumpsi, prodiere in lucem libri de Affectis locis, de Crisibus, de differentijs febrium, de febribus ad Glauconẽ, Medendi methodus, & alij non minus vtiles, qui antea vel contempti vel incogniti delitescebant. Quumq; hisce studijs iam bonarũ literarũ factio augeri indies magis ac magis videretur, nõ defuere, qui quotidiano conuitio peterẽt, vt quęstiones aliquot, in quibus inter autores nostros controuersia est, in methodum quampiam redactas scriptis traderem, quò ipsi in vnaquauis earum quid sentiendum esset, breui quodam cõpendio tenerent. Quod nõ sum in aliquibus grauatus facere, inter quas vna pleuriticæ phlebotomia est. Quæ quidem cum meo circumferretur nomine, mendis innumeris plena, manca in plerisq; locis, inepta in non paucis, amanuensiũ inscitia, è re mea esse putaui, vt emendatior auctiorq; Typographo traderetur, ac tuo dicaretur nomini, quò à me primitias & Hellenismi & Galenismi simul acciperes, non enim parui refert, quo astro primum nascentes filioli excipiantur. Vale, Sophistasq; iam ex nostra academia fuga, quos nec ferre possum, nec ipsi me. Valentiæ 3 cal. Septembris 1546.

DE PLEVRITIDE COMMENTARIOLVS, PER MICHAElem Hieronymum Ledesmam Valentinum Medicum, Præfatio.



Licet ex Galeni dictis intelligam longè difficillimũ esse ad ueritatẽ eos reuocare, qui sectæ se alicuius seruituti addixerũt, quod falsæ opiniones animos hominũ præoccupantes, non surdos solum, sed & cæcos faciunt, ita ut uidere nequeant, quæ alijs conspicuè apparent, Non tamen in amicorum & discipulorum gratiam, meam de pleuritide in mediũ afferre sententiam grauabor: ut si quid in me est autoritatis, id totũ iuuenes in credendis commentarioli mei placitis conferãt, multò antea degustantes, quæ salubriora sunt, quàm quæ forsan postmodum, & difficilimè, & cum non mediocri stomachi incõmodo sint euomituri. Alijs sanè res nõ scribitur, nam quis si sapiat, à quoquam nisi mediocria audeat exigere? Scio nanque ex ipso eodem Galeno nullam pertinacius hærere tincturam, quàm quæ ad prauas præceptiones est affectio. Quo nomine qui diuersa sentient, sentiant & nugas esse, quæ scripsi, ut ego aliquando in eorũ sententijs facere solitus sum.

8. secundũ locos.

2. de diffi. anhe.

De thoracis anatome.

Ad exactam morbi naturam dignoscendam, affecti

de aff. lo. 2. cap. 1. loci rationẽ habendam esse Galenus asserit, quæ ex anatomes pendit peruestigatione. Nam quum intra thoracem partes aliquot sint, quæ affici non raro soleant, uideanturq; pleuritidum signa, nec tamẽ sint, cordati est ea omnia ad uiuum internoscere, ex quibus aliquid obscuritatis emanare potest, nisi iam Glauconis exemplo deceptus, errorem magni non facias, ut ille adhibito in consilium Galeno fecit multi. Adde quòd ad curationẽ ipsam non parũ faciet uenarũ descriptio, quarum ignorantia multos eorum decepit, qui in hoc negocio longè aliter quàm deberent, sentiunt. Intra igitur thoracis spacium, cor est, pulmo, arteria aortha, uena caua, uena azygos, membrana costas succingens, costæ duodecim, raro enim tredecima uisitur, rarius, sed aliquando tamen, deest duodecima. Duo & uiginti musculi, supernarum nimirum costarum duo, infernarum duo, à collo manant tres, à dorso septem, per abdomen disseminantur octo, qui omnes ad thoracem spectant, quando eius officio, nempe inspirationi & respirationi seruiunt. Inspirationis nanq; non uiolentæ (nam duæ sunt spirationis species, Galeno autore) causa septũ transuersum est, thoracis finis. Violentæ uerò, sima portio musculorum per scapulas disseminatorum, & ultima pars musculorum intercostalium. Expirationis autem non uiolentæ abdominis musculi, musculi uerò intercostales extimi, uiolentæ. A clauicula ad septũ transuersum

De aff. lo. 4. cap. 7.

De usu. resp.

sum thorax est. Cuius quatuor superiores costas, sæpius, rarius uerò tres, uenulæ diuaricatæ in dextram partem & sinistram nutriũt, è caua uena nimirũ dimanantes. Octo autem infernas dextras item & sinistras uena azygos, dextra cordis parte exoriens, in multis elatior, in nonnullis aliquanto inferior cordis auricula, ramus etiam uenæ cauæ ad inferiora remeans. Sed de his Galenus lib. de usu respirationis, & de anatomicis administrationibus, & de partium usu.

De pleuritica inflammatione.

Pleuritis ex Galenicis documentis in Aphorismorũ commentarijs inflammatio est membranæ costas succingentis, quod Galenus idem de causis puls. & de aff. loc. aperte demonstrare uisus est. Inflammationẽ uerò sub tumore præter naturam, tanquam genere cõpræhendit lib. de tum. præter naturam. Medici tamen uulgares pleuritidem apostema soliti sunt appellare, quũ nil minus pleuritis sit, quàm apostema, præsertim quum nondum suppurata sit. Inquit enim Gal. 2. ad Glauc. ubi iam de inflãmatione cæterisq; tumoribus satis fuse pertractauit. Enimuero de his satis dictũ est, tempus nanq; exigit ut transeamus ad abscessuum pertractationem (apostema enim Græcè abscessus est Latinè) sic autem nominant eas dispositiones, in quibus inuicem distant, quæ prius se contingebant corpora, spacium igitur uacuum in medio fieri oportet, quod aliquam substantiam

6. Aph. 35

cap. 8. & lib. 5. cap. 2.

cap. 2. de absces.

" spirituosam, uel humidam, aut mixtam ex utrisq; com-
" præhendit, ad quod ex inflammationibus quædam, atq;
" erisypelatis non paucæ transmutantur. Sine his etiam
" abscessuum dispositio consistit, ex multitudine quorun-
" dam humorum, aut spirituũ uaporosorum, siue in ipsis
" patientibus partibus in medio generentur, aut ex alijs
" confluant, ea ratione qua fiunt illa, quæ decubitus uo-
" cantur. Nominant uerò sic huiusmodi dispositiones, quũ
" qui prius unum membrũ infestant humores, eo relicto
" ad alterum transmutantur. Quocunq; uero modo fiat
" abscessus, id spacium quod abscedentes interiacet par-
" tes, humiditatibus, quæ ipsum faciunt, complentur.
" Quæ ubi aliquando perdurauerint, plures habent alte
" rationes. Nam & lapidibus, & arenis, & testis, & lig
" nis, & carbonibus, & limo, & sordiciei, balnei feci, si-
" ue amurcæ & multis alijs talibus similia in abscessibus
" corpora contineri inueniuntur. Hæc ille. Quæ omnia lib. de Tum. citato confirmare uerbis similibus uisus est. Illud tamẽ addit appellari nimirũ huiusmodi abscessus à ueteribus suppurationes, sed eas ibidem Gal. in pecto re tantum fieri uult. Species uerò abscessuum meliceri des nominat, atheromata, steatomata, & id genus alia: inflammationũ uerò, tumores, erysipelata, scirrhos, & ædemata. Vnde toto errãt cœlo, qui tumores omnes ap- pellant apostemata (ut medicorũ maior pars facit) atq; in tumore eo, quem apostema ipsi appellant, tres morbo

Communis error.

rum differentias inueniri sentiunt, distemperiem nimiorum, uitiatam compositionē, & continui diuortiū. Quæ tantum Gal. in abscessu inueniri tradit, quū ait. Quæcunq; pars una cum phlegmone ulcere quoq; infestatur, triplici morbo affici necesse est. Quam sententiam falso Cauliacus Guido, uir alioqui literatus, de reliquorū etiam more errauit, apostema sanè idem cum tumore proculdubio fore autumans. Illud tamen ex Gal. annotandū est, pleuritidem ab affecto loco appellatā, πλευρὰ enim costa est, unde πλευρῖτις.

De morb. diff. 1.

Meth. 2

De diuisiunculis in pleuritide annotandis.

Solet aliquando pleuritis supernas partes infestare, nonnunquam infernas, ut Hippo. animaduertit. Item quædam uera pleuritis est, quædam notha, hæc flatulentus est spiritus, aut tumor uersus externa, illa autē inflammatio succingentis membranæ, quod annotauit Archigenes. Adhæc pleuritis, aut afficit latera, aut mediastinum, aut diaphragma: quin & in intercostalibus musculis, Gal. teste, inuenitur. At nullam aliā propriè appellari uoluit pleuritidem, quàm eam, quæ lateris internam membranam infestat. Illud tamen longè certissimum est, sinistram inflammationem dextra peiorem esse ex Rufi sententia, sed utrâq; longe maligniorem, quæ in diaphragmate fieri solet, ob sextæ syzigiæ diuaricationem eò tendentem. Præterea morbi uis sua tempora habet concoctionis dicta, quæ breuiora, aut productio

2. de ac. 11.

2. de aff. cap. 1.

3. de aff. 2

1.aph.12. ra ſolent eſſe, ut Gal. in Apho. ſcriptũ reliquit. Symptomata etiam ſua ſortiuntur tempora, Sed tenendũ memoria eſt, concoctione in ſputo apparente, ſymptomatum declinationem incipere, & quò prõptius apparuerit concoctio, promptius ceſſare ſymptomata. Quin & pro doloris uiolentia fluxu magis aucto, uel minus, longiora etiam eſſe morbi tempora, uel breuiora. Poteſt intra diem unum, horaſq; pauciores pleuritis ad ſtatũ peruenire. Tandem animaduerſum à medicis eſt, pleuritidem, aut diſcuti, aut in ſuppurationem uerti, aut in ſcirrhum, aut in peripneumoniam, aut ad infernas migrare partes, natura ſuas ad id uias inueniente.

Cauſæ pleuritidis.

Cap.proprio. Quas in uniuerſum Gal. inflammationis cauſas poſuit lib.2.ad Glauconem, eaſdem eſſe & pleuritidos ſentiet. Sanguinem nempe copioſum, calidiorem æquo ad membranas confluẽtem. Rarius enim humores alij eam progenerare dicuntur. Bilis tamen aliquando, ut Gal.
6.aph.34. in Aph.dixit. Item ictus dolore fluxũ cõcilians, uini potus ſanguinem augens, & inflammans, frigus externũ comprimens, & non raro diſtemperie lædens membra-
3.aph.23. nas, Gal. autore, hunc morbum pariunt. Item menſiũ ſuppreſsio, & hæmorrhoidũ, ut ait Alexander Trall. Demum fit inflãmatio hæc, cæteræq; fluxiones decumbente in membrũ humore, imbecillitate ſua incommodo ipſi paratius. De quo negocio fuſius Gal. lib. de tum.

& de

& de plenitudine, nonnihil etiam in arte parua. Causæ nothæ pleuritidis flatulentorum usus sunt, potus gelidi, distemperies frigida externi aëris.

Signa.

Signorum aliquot sunt differentiæ, pathognomonica, ætiologica, diastaltica, chronica, epallactica. Pathognomonicorũ ratio prima sit, sunt ea quinq; primum ex Gal. febris, quoniam sedes affecta parũ à corde distat. Secundum, dolor punctilis, ex eodem Gal. quia in membro admodum sentiente. Tertium, anhelitus difficultas, ex. 2. de dyspnœa, ubi Anaxionis exemplo, eam necessariam esse in pleuritide ob æquo maiorẽ caliditatem sentit. Quartum, tussis, ut ibidem uidere est. sed eam nunc humidam nunc siccam esse ait, certè tamen necessariam, natura nimirum à materia ipsa irritata nocumentũ expellere conante. Quintum, inæqualis pulsus est, & durus, membris nimirum duris affectis, & admodum reluctantibus, quod Gal. affert lib. de cau. puls. Quòd si ad intercostales musculos uerius dolor uergat, pulsus non æquè durus est, quia locus mollior, & dolor pulsatilis, quia in musculosiori parte. Quod Gal. pertractat lib. de aff. lo. De quibus mox sigillatim agemus post signorum differentias in uniuersum enarratas.

5. de aff. cap. 2.

2. de aff. cap. 3.

5. cap. 8.

5. cap. 2.

Aetiologica morbi causas ostendunt. Inquit enim Gal. effusa in thoracis spacium sanies, in asperas arterias recipitur pulmonis, deinde tussiendo excreatur, »

5. de aff. cap. 2.

 qualis »

„ qualis sit, qui inflammationem facit humor declarans,
„ an uidelicet sit biliosus, an melancholicus, an pituitosus,
„ an cruentus. Etenim si bilis abundat, flauum aut palli-
„ dum, si atra bilis, atrum, si pituita, spumosum & candi
„ cans, si sanguis, rubrum. de his etiam in Aphorismo-
6.aph.36. rum commentarijs.

4.de aff.7 Siculi medici apud Galenũ exemplũ, signa diastal-
tica nos ad unguem tenere cogit. Hepatis enim & lie-
nis inflammationes, & pulmonis etiam, pleuritidi simi-
les esse uidentur affectiones. At in pleuritide dolor ue-
hementior est, quàm in hepate, liene, uel pulmone: quia
locus natura membranosior. Pulsus etiã longe durior,
tußisq; multo maior & humidior. Locus item doloris
euariat, nam hypocondria sunt, quæ illæsa in pleuriti-
de manent, at in reliquis, ea sunt, quæ afficiuntur. In
peripneumonia uerò anterior pars pectoris, scapulæq;
dolent, simul cum angustia, quæ orthopnœam imitatur.
De quibus Gal. lib. de notis puls. & de aff. lo. 2. cap. 3.

2.cap. Signa chronica ex lib. de crisi sunt decerpenda, totũ
enim illud principiũ Gal. appellat, in quo sputum non
apparet, apparente uerò, sed tenui, augmentum, quòd
ubi crasceßit naturæ lege, uigorem: declinationem ue-
rò ubi iam sputũ imminuitur. Cruenta, atra, croceaq;
sputamenta, atq; spumosa, quò in candorem æquali cui-
dam substantiæ commixtũ uergent, eò magis ad morbi
finem, & proinde ad salutem peruenire dicuntur.

Signa

Signa epallactica, inuenies apud Hippo. illic, Quicunq; morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus nō purgantur, ij in suppurationē uertūtur. Itē ibi, Quicunq; ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die qua fit eruptio, liberantur, si uerò non, in tabem transeunt. Quibus uerbis Chous permutationū genera complectitur. Quum in peripneumoniam uertitur, dignoscitur ex peripneumoniæ signis diastalticis allatis, efferendisq; postmodū cap. de pulsu Serratili. 5.aph.9 5.aph.15

De pleuritidis febre.

Licet in prima signorum diuisiuncula, de pleuritidis febre, reliquisq; pathognomonicis signis egerim, nūc tamen de eisdem speciatim pertractandum est, quoniam in eorum quouis sunt quædam ignota uulgo, admodum aduertenda. Quorum illud primū est, non parū esse argutiei in febris natura in pleuritide inuentæ peruestiganda. Inquit enim Gal. Febres inflammationibus aduenictes, symptomata potius quàm morbos esse, earumq; aliquot affert differentias, Lipyriam, Elodem, Tiphodem, pestilentem, ardentemq;, quarū lypiriam febrem cum Philotheo ait esse aduenientem internis aut inflammationibus, aut Erisypelatis in eo Apho. In febribus non intermittētibus, si partes exteriores sunt frigidæ, interiores uerò urantur, & sitim habeāt, lethale. Idem in Præsagijs confirmat, ea uerba exponens. Si caput, 7.aph.42 4.ap.48. 2.præsa.4

aut

aut manus, aut pedes, frigidi sunt, uentre costisq; calentibus, malũ est. Quod quo fiat modo in eo exponit Aphorismo In morbis acutis frigiditas extremarũ partium, malũ. confert enim ibi Hipp. inflãmationis ardorẽ, cucurbitulæ ad se sanguinem è toto corpore trahenti, unde extremas partes frigescere necessariũ est. Hæc dixerim, tum ut intelligant omnes q, licet ex Gal. sententia lib. de Crisibus.2. & de feb. diff. febris pleuritidi adueniens tertianæ assumat accessiones, nihilominus eam lipyriam esse, tum ut animaduertant toto eos errare cœlo Arabes, qui Lipyriæ propriam tribuunt materiam, nunc nimirũ pituitam, nunc bilem crassam, locoq; tantũ aiunt ab Hepialo differre. Quũ tamẽ in Hepialo apud Galenum lib. de inæq. intemp. & de feb. diff. simul frigiditatem & febrem membra tum interna, tum externa sentiant. quod præter Gal. decretum suæ anonymæ Auicenna tribuit & Serapion, quum Rases & Aliabb. Galenum ad unguem, ut par erat interpretes, sequuti sint. Illud autẽ Aëtij lib.5.cap.88. lipyriam scilicet esse quando in uentriculo erisypelas est, typhodem (de qua Gal.12.primæ sect. Apho.) quãdo in iecore, Crymodem quando in pulmone, non rectè Fuchsius damnat, nam si septimæ sect. Aphor.42. legas, uidebis illud si non expresisse, certè significare Galenũ in cõmentario uoluisse, dicentem, Accidentariarum febrium autores inuenisse differentias, ut Hepialon, Lipyriam, Elodem, Typhodem

7.apho.1.

2.cap.

Cõmunis error.

16.cõt.& 7.theo.

Arguitur Fuchsius.

dem, &c. quæ iecorariæ, pleuriticæ, uel lienosæ nunquam sunt appellatæ. Porro nõ sic appellari possent febres illæ, nisi quia iecoris, lienis uel lateris inflãmationibus solerent accidere. Elodes igitur ex Gal. sententia humida febris est, quòd in ea sudores fiant nõ pauci, quod sanè posset contingere discussa lienis inflammati materia. Sic & Crymodes pruinosa febris dicetur, ea nimirũ, quæ pulmoni inflammato solet accidere, quæ inquam ob aëris interclusionem, languentem ingẽti ardore comburere uideatur. Crediderim sanè Aëtium Fuchsio & prius & attentius Gal. & dicta & animũ peruestigasse, & intellexisse. Non dubitans licet lipyria propriè stomachi inflãmati febris sit, esse etiã eam lipyriam, in qua refugiente ad interna calore externa algeant, quæ in quauis interioris membri inflammatione perniciosa potest contingere. Ad Lycũ. Defenditur Aëtius

De dolore punctili.

Dolores laterum, & pectoris, & aliarum partium ut ait Hipp. 6. & Apho. & Epid. Si multum differant considerandi, perdiscendum. Nam si in superioribus costis sint, uenæ sectione, si in inferioribus, pharmaco indigent ex præsagiorũ secundo. Item si ex bili fiant, uerius potione curantur, quàm mißione sanguinis, eodem Choo autore sexti Epid. sect. 4. Apho. 32. Adhæc genus doloris animaduertendum, nam in carnosis partibus, ut lumbis, dolor est grauis, in neruosis punctilis, in arte- Aph. 5. & epid. sect. 7. aph. 17 aph. 10

riosis pulsatilis, in adenibus distendens, in partibus os=
sium uicinis stimulans, atq; adeò inter ipsa ossa humo=
re aliquo mordaci partes sensiles erodente, in finibus
ut in intestinis, lacerans. stupida autem Galeno doloris
species non est, contra Archigenem, sed duarũ rerũ do=
loris quippe & stuporis concursus. Stupor enim dispo=
sitionis non loci affecti indicium est. fit nanq; ex refri=
geratione insigni, aut ex constrictione uehementi, atq;
eos etiam, qui torpedinem uiuentem senserũt stupor in=
festare solet. De his Gal. de aff. lo. 2. Plin. lib. 9. Paulus
cap. 1. cap. 16. cap. 40. cap. 100 2. Aëtius. 5. Præcipit præterea Gal. dolentes ipsos in=
uicem conferre, Dionem nimirum Theoni: solent enim
delicatiores uehementius queri, in quorũ numero sunt
fœminæ. Demũ ibidem ex duobus ostendit naturam do
Sect. 1. aph. 7. loris pernosci posse, ex specie quidem eius, & uehemen
tia. Illud nemini non est notũ, dolorem aliquando pro
affectu, quem parit, capi, ut in Epid. sexto. In Crano=
ne uetusti dolores frigidi, noui uerò calidi (barbari in=
eptè hunc locum citant) aliquando pro molesto & labo
cap. 5. riosо sensu, ut Gal. de sympt. cau. definit. Eius causas
cap. 4. Hippocratem posuisse Gal. lib. de inæq. intemp. probat
dicentem, Dum corrumpitur natura, & alteratur do
lores fiunt. Item omnis morbus, dolorificus nimirũ, ul=
cus est. Duas etiam posuisse Gal. clarius est, quàm ut
probari debeat, loca sunt multa. id ostẽdit lib. de sympt.
aph. 8. & 80. caus. citato nuper loco. liber de lo. aff. annotato cap. li=
ber

ber artis paruæ, liber de uict. ac. com. primo. Methodus medendi, lib. 12. & 13. Quo in loco uestigare inquit an alteratio sola dolorem pariat citra solutionẽ, præsentis negocij non est, quum iam id factum sit lib. de simpl. medi. satiq; nunc medico fuerit alterationẽ solam abijcere. In eo tamen lib. Gal. proculdubio doloris proximam causam solutionem facit, Hippocratis tum alijs, tum eo dicto rem probans, Frigidum ulceribus mordax, nam frigiditas in ulceribus contractionẽ pariens dolorem conciliat, in cute uerò non ulcerata, nihil tale efficiens, non conciliat, nisi iam mediocritatẽ excederet, tunc enim & solutionem & dolorẽ inferret. Solutio tamen ea nisi admodum augeretur, non admodum propria solutio est: nõ enim medici manu indiget adiutrice. Auicenna utranq; causam ex æquo ponit contra Galenum, eius tamen rationes sunt inefficaces. At non censuerim iccirco eum à Fuchsio damnandum esse, quòd dixerit Galenum unam tantum doloris causam posuisse. Nam si rem excutias. Gal. id sentit, quod eum sentire dixit Auicẽna, hoc est quòd propinquior causa doloris solutio sit. sed Fuchsius nimis pro suo iure aliquando loquitur. Atqui mirũ non est, quòd à Fuchsio damnetur is, qui medicinæ lumen Galenum, quem assumpserat interpretandum uoluerit ἀσόφως insimulare οὕτως καὶ τῶν βαρβαροφώνων παῖδες εἰώθασι. Non ignoro quàm in hoc loco Sophistæ & garriant & nugentur. Auerrous etiã contra Gal. utranq; causam

cap. 7.
4. cap. 1.
4. 20.
fen. 2. pri.
Defenditur Aui.
Notatur Fuchsius.
coll. 5. cap. 31.

causam ponit, solutionem tamen, nisi alterando non conciliare dolorem asseuerat, argumenta eius glacie frigidiora sunt, nihilq; euincunt nisi apud Sophistas. Illud tamen ex omnibus autoribus, cuiuis notißimum est, sed ex Galeno præsertim, calorem & frigus dolores gignere uehementes, siccitatem moderatos, humiditatẽ nullos, quatenus talem, at replendo, extendendoq; nonnunq̃ & dolorẽ & laboriosum progenerare, ut in Ascite. Pleuriticus enim dolor quũ ob inflammationẽ adueniat, pulsans sanè esse debebat, nam partes inflammatæ commouentur, & ab adiacente carne comprimuntur, partesq; uicinas sensiles percutientes, pulsant, ut Gal. ait. Proinde in suppuratione, augetur pulsatio, consequente nimirum uehementes inflammationes suppuratione. At uel laxo membro id impediente, ut in peripneumonia, uel arterijs longè distantibus, ut in pleuritide, pulsatio non adest, quòd si ad intercostales musculos pleuritis uergat, tunc aderit pulsatio, quoniam arteriosa pars est. Cæterum quum ex membri dispositione non naturali, uel ex humoris genere mixtionéue contingat medicum aliquado falli, ut Gal. in sua colica, non immerito ipse idem scitè doloris differentias discutere ad eum pertinere sentit, qui eas sustulerit. Nec mirũ sanè quòd Archigenes improprias multas in medium attulerit, ut austeram, acerbam, astringentem, & alias.

Secundo secundum locos. cap. 1.

Dean

De anhelitus difficultate.

Galenus lib. de Dyspnœa primo, & respirationis usu, anhelitum esse motũ sentit ex inspiratione & expiratione compositum, inter quas, quum contrariæ sint, quietẽ mediam esse ex Arist. necesse est. Fitq; anhelitus à facultate animali uoluntaria non omnino libera, ut de motibus liquidis & de causis respirationis ostenditur, quod seruus Barbarus manifestè, retẽto anhelitu uitam finiens cõmonstrauit. Argumentũ Auerroi de dormientibus inefficax est, nam Gal. mensuram temporis illi facultatis animalis muneri asscribit, ut iniectioni & eiectioni. Quum igitur anhelitus hic à natura constitutus sit, tum ad cor euentandum, quin & ad spiritus progenerandos ex Hippo. sententia, inuita barbarie, tum etiã ad emittendas foras ustilagines, pro portione causæ huius uel illius maioris uel minoris, solent aliquando inter se uariari & differre inspirationes ab expirationibus, & cõtra, quod intelliges sequẽti cap. de pulsu. Solet in hoc cõcentu inter symptomata alia accidere difficultas, quæ aduenit ob dolorem. nam quũ dolor impedimentò sit, quo minus extendi pectus pro necessitate possit, fit anhelitus difficilis. Item aduenit ob obstructionem, quæ in partibus tracheæ arteriæ, uel admodum uicinis fieri cõsueuit, ut in asthmaticis, & peripneumonicis. Nam si in longè distantibus fiat, tunc inæqualitas tantum in pulsu apparet, ut in Antipatro medico Gal. annotauit.

lib. de Resp.

de aff. 5. cap. 9.

In apoplexia etiam difficultas inuenitur, ob interclusos spirituum meatus ad pectus tendentiũ. Adhæc anhelitus difficilis fit propter inflãmationes in uniuersum omnes, ut in phlegmonibus, & ardentibus febribus: aëre nimirum necessitati respondere non ualente, difficulter fit attractio. ob ulcus, suppurationem'ue fit etiam huiusmodi difficultas, quum pulmo sese accõmodato motu nequeat agitare atq; extendi, sanie impeditus. uiriũ imbecillitas difficultatẽ etiam parit, ut Gal. si quid aliud doctissimè est prosecutus lib. de aff. lo. 4. ad quam partẽ lectorem ablegamus. Intra difficultatẽ ipsam quædam differentiæ aliæ ab ea nonnihil diuersæ, inueniũtur. im
4. aph. 68 primis intercisio, seu offensio à Choo dicta in eo Apho. In febribus, spiritus offendens, malũ. conuulsionẽ enim significant. nam fit conuulsis thoracis musculis, qui respirationem ullam absolutam peragere nequeant, præterea præfocatio, quæ in inflammatione cum angustia, & imbecillitate etiam, aliquando solet euenire, ut in peripneumonia. insuper inæqualitas, qualis in pulsu: motu nimirũ ipso ob imbecillitatem, aut impedimentũ aliud aliter incipiente aliterq; desinente. & licet in pleuritide possint ob suas causas nonnunquã contingentes aliæ differentiæ euenire, solum anhelitum appellamus difficilem, inflammationis nimirũ & doloris tantum rationem habentes.

De pulsu serratili.

Galenus lib. de Pulsibus ad tyrones cap. de pleuri- "
tidis pulsu. Simili modo inquit illa inaequalitatis species, "
quae serrantis imaginem praebet, imprimis pleuritidis "
proprium est signum, si remissa est, mollis & probè ma "
turandae, si uerò magna, difficilis, & admodum crudae. "
Tales cum imbecilla facultate coniunctae periculum ha "
bent, si cum firma, aut tardè concoquentur, aut ad sup "
purationem deflectent, aut tabidus eas excipiet marcor. "
Principio, pulsus serratilis inaequalis est. Inaequalis au tem pulsus is dicitur, qui differentiam, quam primū sortitus est, non obseruat, ut si uelox ad tardum, uel magnus ad paruum uergat. Inaequalitas haec duplex est, in una nimirum pulsatione, aut multis: si in multis, aut deficiens, aut intercidens, aut decurtatus, aut deficiens decurtatus appellatur: si in una pulsatione, aut est in situ, ueluti in pulsu conuulsiuo, aut in motu, in quo spacio undosus, uermicularis, & formicans uagantur, & cum eis serrinus, qui talis dicitur, quoniam ob duritiē pars arteriae dilatatur, pars uerò minimè. Est igitur haec pleuritidi propria inaequalitas serratilis, quoniam membro duro affecto, durus sit pulsus necesse est, atq; inaequalis, q; nequit aequaliter arteria eo noīe distendi. Illud tamen est obiter animaduertendum ex Galeni placitis, inaequalem pulsum diuidi in ordinatū & eum qui caret ordine. Sic enim Galenus loquitur cap. de cau sis inordinati pulsus & ordinati. Proximum est ut de 2. de cau. pulſ.

„ ordinatis & inordinatis agamus: Hi pulsus, quũ inæ-
„ quales omnes sint, ut lib. de diff. pulsuum diximus, in eo
„ tamen uariant, quòd æqualitatẽ hi certis orbibus tuean
„ tur, illi confusi usquequaq; sint. Item de diff. pul. primo.
„ Ordinati & inordinati pulsus fiunt, diuisa sanè in pa
„ ritatem circuituũ, & absolutam imparitatem inæquali-
tate. Auicenna uerò quum primũ diuisisset pulsum inæ
qualem, in ordinatũ, & non ordinatũ, mox de pulsu na-
turali agens: aliorum. inquit, qui neq; augmentũ susci-
piunt neq; diminutionem. naturalis est mediocris, & or
dinatus & boni ponderis. Quum Galenus lib. de dign.
puls. cap. de opt. natura, moderatum esse dicat pulsum,
ad quem alij collati excessuum & defectuũ nominibus
appellentur. Differt enim longè moderatus ab ordina-
to, qui semper sine ulla exceptiõe inæqualis est, quicquid
Forliuiensiũ, & extrauagantiũ ἀμενηνὰ fingant κάρηνα.
Leuis igitur inæqualitas leue damnũ significat, magna
uerò, magnum. Quæ si diutius perdurauerit, uirtutem
perstare præsagies: at perstante ipsa inæqualitate, plus
æquo, in suppurationem, aut marcorem perueniet, fietq;
tunc, in principio nimirũ, magnus, uelox, & frequens: in
augmento, durior, & uibratior: in uigore, cum eadem du
ritie minor fiet: in declinatiõe, ad naturalem sensim re-
uertetur. Hæc in suppuratione. In marcore autem pul
sus similis formicanti est, nullam mutationem suscipiens,
unde Hecticus dictus, semper sui similis manens, impli-
caturq;

Auicenna à Gal. dissentit. fen. de puls.

catur'q; ut initio cœpit, nunquam soluitur, totius corporis habitu in morbū cōuerso, & ægrotāte. Item paruus, creber, languidus, & Archigenis sententia ἐπινενευκώς. Quæ latius inuenies apud Gal. lib. de pulſ. ad tyrones. Illud tamen memoria tenendum etiam obiter est, si spatium arteriæ metiamur, systolen diastole maiorem esse non posse, nec cōtra, proindeq; nullam in eo negocio inæqualitatem inueniri. Sed fingendum est arteriæ latitudinem a b c d e fore, extendiq; ualetudinis tempore & constringi ex b usq; ad d, & contra: sed maiori existente euētandi quàm expurgandi necessitate, ut in diaria, protendi ex naturali spacio usque ad e, per quod idem spaciū licet constringatur, non tamen systole æqualis erit ipsi diastole, quoniam nō mundificatur arteria plus quàm ualetudinis tempore, quum tamen plus euentetur naturalis calor eo tempore, quàm tempore sanitatis: si contra fiat, ut in tertiana, cōtra etiam dicendum est. Atq; in hunc modum in pulsu, thoracisq; anhelitu inæqualitas obseruanda, huius generis est. Archigenes. Galenus.

De tussi pleuritica.

Tussis, symptoma necessariū pleuritidi est: secundo de dyspnœa. humecta autem uel sicca, salutē uerius aut mortem, quàm naturam morbi significat. Nam nisi materia per tracheam arteriam expurgetur, quum aliter non possit, suppurationem aut marcorem aduenire necesse est. Dolores inquit pleuriticorum ilico sua sponte Galenus. de vict. ac.



desinunt, ubi aliquid effatu dignum tum expuere, tum expurgare cœperint, & Præsag. lib. In omnibus, ait,
2.com.43 pulmonis costarumq; doloribus, ut sputum cito facileq; excreetur necesse est. Vnde suspectus multis eo nomine
trac.5. uisus est Auicenna, q fen.10.tert. Pleuriticorum cibos
cap.3. esse uelit lentes cum acetositate, quas præterquam quod ex Dioscoride, Hippocrate & Galeno ipso lib.8. de simplic.med. astringentes admodum esse comperiamus, tantumq; absit, ut lenientes & pectorales dicantur. extat
1.cõ.27 Gal. locus lib. de uict.ac. eas apertissime damnans. Lentem, inquit, ex aceto confectam pleuritico, in ea morbi
» declinatione, quæ nihil aliud quàm coctorũ expuitionẽ
Historia. exigebat, qui exhibuit medicus, nõ immeritò ægrotanti
» ipsi, qui sequẽti nocte suffocatus est, mortis occasio fuisse
» uisus est: imò lenticulam nemo qui mentis cõpos fuerit,
» dederit. Scio quid in hoc loco Sophistæ fingant, & quàm
» extrauagetur Fulginas.
»


Aphorismi Choi pleuritici.

Imprimis sect.1. Aph.12. ex promptiore expuitione breuiorem morbum esse pronunciat Chous. Et quinto tertiæ, Aquilonẽ sua frigiditate pectoris materiam condensare. & eadem ferè ratione hyeme pleuritides fieri dixit.23.tertiæ. Ad hæc.8.quintæ suppurationẽ immine re, nisi intra quatuordecim dies pleuritis finiatur, quod nimirũ acuta ægritudo intra eos iudicetur. Indeq; intra quadraginta si non expurgetur, tabem sequi, ut aph.15. quintæ

quintæ habet. Quòd si ei alui profluuium superueniat, indiciũ esse proculdubio malum, præsertim uel non constante facultate, uel critico nõ existente profluuio: quod asserit. 16. sextæ. Præsagit præterea acidum eructantes raro fieri pleuriticos, quòd rarißimè ex pituita pleuritis fiat, ex qua acidus ructus sæpe manat. Item si fiat permutatio ab ea ad pulmoniam, longè peßimũ esse quis ignorat? ut dixit aph. 11. septimæ. Hæc sub breui compendio, quæ notiora sunt. nam sexcentæ aliæ sunt sententiæ in lib. de uict. in ac. & Præsagiorum, & Prorheticorum.

De curatione pleuritidos.

Curationis ratio tam ad sex rerum nõ naturalium, quas uocant, peruestigationem spectat, quàm ad medicamentorum. Aër primũ temperatus conuenientior est, calidior enim æquo morbum auget, frigidior crudiorem reddit. Victus rationem Galenus doctè lib. de uict. ac. explicat. tenuis enim esse debet, ut in Aphorismis primæ redditur apertißimum. at qualis futurus sanè is sit, uires nobis & morbi uehementia ostendent, & cum his sputi quantitas. si enim uel nil uel modicũ expuatur, tenuius alendi languentes sunt: si uerò auctius fuerit sputum, & auctior esse uictus ratio debet. Ptisanæ cremorem, aut lac amygdalarum, aut utrunq; commixtum nunc soliti sumus præscribere, mox ad pullos gallinaceos pergimus, deinde peracta crisi ad lautiora



sensim properamus. Frigidam nullo modo potent pleuritici, sed uel adianti, uel ordei exactæ macerati decoctū, uel ut alij sentiunt, cynnamomi, idq; tepidum: nam frigidis morbus incrudescit. In latus affectum decumbere concoctioni adiumento est: mœrorem, iramq; profligare, consilium. Reliqua nemini nō sunt notißima. Vnum tamen solum in hoc loco pertractabimus fusius aliquāto, cuius gratia commentariolus hic noster in lucem editus est. Nam quum ego is sim, qui primus Galeni manes excitare, in lucemq; remeare, in nostro hoc gymnasio coëgerim, asscribunt inepti nonnulli multa mihi, quæ falsa sunt, ut in seniorū fortaßis odium incidam, nō inficians interim nonnulla esse, quæ cōtra huiusmodi Sorticulas sophisticißimos de me quotidie malè meritos, & sentire & defendere non contremiscam. Controuersia est inter autores, tum ueteres, tum recentiores, ex utra parte fieri debeat uenæ sectio in pleuritide, si eam fieri conueniat. Nam ex Choi sententia, & Galeni etiam, pleuritide admodum biliosa existente, uenæ sectioni supersedendum est, tum nimirū quum corpus macilentum fuerit, nullumq; plethoræ præbens indicium. Item ex eiusdem Hippo. præcepto. 6. Epid. in cruenta expuitione uenæ sectionem probibet bis uerbis. Sunt nonnulli inter

lib. de Succis.

Sect. 3. aph. 32.

» hos, qui sanguinem expuunt, quibus oportunè uenam se
» care expedit, alijs autem perinde atq; illis haud decet,
» impedimento autē sunt, tempus, pleuritis & bilis. Quo

in loco

in loco ſentit Hippocrates temperamentū bilioſum ue-næ ſectionē, uel in ſanguinis ſputatione prohibere, tempus etiam bilioſum non minus ſanguinis miſsionem uitare: & quia cum his pleuritis coniuncta eſt, ea debet intelligi, quæ ad bilis naturam uergit: in qua quū iam ex ſe uenæ ſectio non conueniat, longè minus cōueniet, ſi cruenti ſputamēti copia adſit, ubi, ſi uirtus & ex morbo & ex euacuatione imbecillis, multo ex uenæ ſectione reddetur imbecillior. ut nihil interim dicam de impedimento, quod expuitioni pleuritidi neceſſariæ, ipſa uenæ ſectione inferetur. In quam ſententiam Galenus uidetur uergere in commentario. Porrò animus eſt nudas in medium afferre ſententias, atq; candidè ſuis fulcire principijs, ut apertè intelligat unuſquiſq; quænam illarum firmiora iaciat fundamenta.

Pandite, igitur, nunc Helicona deæ, cantusq; mouete.

De venæ ſectione in pleuritide.



QVatuor ego in huiuſmodi negocio ſententias inuenio, quas ſuo proponam ordine, cum ſuis argumētis & rationibus. Quarum prima ea eſt, quæ celebrior eſſe perhibetur, quamq; maior medicorum uel doctiſsimorum pars in noſtra uſq; tempora ſequuta eſt. Cuius duo tantum ſunt axiomata. Alterū, quod in pleuritidis initio, fluente nimirum adhuc materia, corporeq; præſertim

plethorico, ex opposito brachio uena secanda sit, nempe ut fluxus compescatur. Alterum, quòd materia coaceruata, uel macilẽto corpore, ex lateris affecti brachio, quod iam morbi causa euacuatione indigeat, quæ per propinquiora fieri debet. Fulcitur huiusmodi sententia his, quæ sequuntur & autoritatibus & rationibus.

Hippo. Imprimis Hippo. lib. de hominis natura, post uenarum anatomen descriptam, sic ait. Sanguinem procul à locis, qui dolitant, & quibus sanguis cogitur, mittito. sic enim magna mutatio fiet repente, consuetumq; mutabis, ne illic coëat. Idem de natura oßium repetit.

Sect. 2. aph. 30 Rursus Hippo. 6. Epid. deriuare, inquit, & obsecundantia confestim reuellere: Quam sententiam ipsemet lib. de Succis exponit his uérbis. Reuelles quidem ad contraria, deriuabis uerò ad latus.

Archigenes præterea, in his, inquit, qui acuto morbo infestantur, siquidem circa mammam ac clauiculam hæreat dolor, uenam incidere oportet in brachio, nõ eo quod recta ab inflammato latere procedit, sed opposito.

cap. 6. Galenus meth. 4. Si perpetuum, inquit, est quod ab
" Hippocrate didicimus, incipientem fluxionem ad con-
" traria trahendam esse, fixam uerò in laborante parti-
" cula uacuandam, quæ afficitur, uel à maximè uicina.
" In prõptu nobis de sanguinis detractione colligere nũc
" est, quòd in principio hæc è longinquo, postea ex ipsis
" exulceratis partibus euolienda. hæc ille.

Item

Item commentario.68. quintæ Apho. illius nimirum aphorismi, Dolenti partem capitis. &c. Non solum, inquit Studet Hippo. ubi sit opus, euacuare, sed cum auersione. Auersio enim, ad contraria fit.

Præterea tertio artis paruæ. Si enim totum corpus repletum fuerit, per ipsum affectũ locum euacuare minimè conuenit. Si enim incidendo, aut secando euidenter euacuemus inferentes dolorem, plus materiæ attrahemus propter dolorem. Si uerò calefacientibus discutere aggrediamur, trahemus per calorẽ magis ad affectam partem, quàm discutiamus. Quod si rursus libeat cogere, ut materia quæ fluxit, recurrat, corpus utpote plenum, nequaquam admittet. ut ergo hæc ambo fieri poßint, totũ corpus euacuare oportet, aut omnino auocare ad locũ alium materiam, quæ in partem affectam influit, &c. Celsus idẽ dixisse lib. 2. cap. 10. perhibetur. cap. 9.

Adhæc lib. de phlebot. Incipientes, inquit, inflammationes ad contraria reuelles, postmodum uerò ad uicina deriuabis.

Quin & 5. methodi. Auertitur, inquit Galenus, inflammatio, tum reuulsione ad contraria, tum deriuatione ad uicina: & eodem lib. Antispasis in his, quæ supra sunt omnibus, deorsum semper agitur: rursum, in his quæ sunt infra, præterea à dextris ad sinistra, sicut rursus ab his ad illa. Similiter ab his quæ intus sunt, foras: contraq; ab his ad illa. Eandem repetit sen

tentiam

2.cap.7. tentiam, lib. de reuulsione. & idem ferè lib. de febr. ad Glauconem.

Aëtius lib. 8. cap proprio, in Arabum apertè sententiam pedibus ire uidetur, illam Archigenis sententia fulciens.

Rationes Arabum.

Licet rationes uariæ inueniãtur apud Montuũ Turinum, Bracheliũ, Agricolam, & alios huius farinæ homines, omnes tamen facillimè diluuntur distinctiuncula quadam postmodum explicanda. Hæ tamen sequentes efficaciores inter alias sunt, nimirum quòd ex Hippo. & Gal. dictis nasci uideantur.

Imprimis si Chous procul à dolitante parte uenam secare iubet, reuellereq́; si ad contraria, si fluxus compescendus est ex Galeno, si demũ per affectam partem non est euacuandum plethorico existente corpore, non debet fieri sanguinis mißio in pleuritide ex loci affecti brachio, quoniam in ea non obseruantur Choi, Archigenis, Galeni, & Aëtij sequentiumq́; ferè omniũ placita, sed antiquantur. Hæc est sylua communium argumentationum.

Deinde quum nullũ censeatur inter superna & inferna discrimen, nõ uidetur, cur, si laborante altero pede præcipiat Gal. 13. method. alterũ scarificare, & nõ idem sentiat in superno latere, sinistro nimirum, nempe quòd secetur ex dextro uena.

Adhæc

Adhæc quum nulla uis sit aut ratio efficax, quæ ponat discrimen inter pleuritidem & alias inflammationes internas, & in alijs Galenus aliunde reuellit, aliunde euacuat aut deriuat, ut in phrenitide: primum enim ex humeraria sanguinem mittit, mox ex uena frontis, atq; in angina primum ex humeraria directa, deinde ex uena sub lingua, quòd altera nimirum sit distantior, altera propinquior. sic in pleuritide fieri debere censendum est, ex uena prius distantiori, nimirum opposita, mox ex propinquiori, scilicet ex affecti lateris uena interna.

Item sacra Brissoti & reliquorum anchora rectitudo est. ea quum ex æquo in utraq; interna brachij uena inueniri poßit, manante nimirū ex eodem caudice, quod satis esse Galenus ad eam demōstrandam ostendit in cōmentario 36 sextæ. Difficultatē urinæ uena secta soluit. secare uero interiores. Secare, inquit, interiores paruam uim habet: ab una enim ambæ nascuntur, in poplite trifariam diuisa.

Præterea quū idem, quatenus idem est, uarios effectus producere nō poßit, ex philosophorū sentētia, quis audebit, uel mente uoluere, ex affectæ partis brachio fieri & auersionem & euacuationem & deriuationem, quum statim fateri cogatur, idem eiusdem respectu & distantius esse & propinquius?

Nec illud paruæ est efficaciæ, reuulsoriā uenæ frontis

tis sectionem, dolente parte posteriore, non per coniuges uenas fieri (quum nullæ sint, ex quibus per Galenistas pendet rectitudo) sed per solam auersionē, quæ inter anteriora & posteriora inuenitur, quum igitur in pleuritide dextri & sinistri auersio inueniatur, & totius quidem diametri secta uena brachij contrarij, non est quòd affecta pars eligatur, præsertim quū adsit uena coniunx, caua nimirum, quæ & brachia & costas per suas uicarias nutrit.

Demum si dolores κατ' ἴξιν fiunt, ut ait Hippo. non est quòd dubitent, tum ob lateris dolorem, tum ob uacuum, uenæ sectionem eiusdem lateris sequens, maximū sanguinis defluxum, in plethorico corpore, in eam euenturum partem, quod sanè non accidet in aduersæ partis uenæ sectione, quum locus contrarius, & pars non dolens id non modo non concilient, sed impediant.

Scio apud Turinum & Bracheliū alias inueniri argumentationes, sed paruam eas uim ad Arabicæ sectæ demonstrationem faciendam obtinere, notius est quàm ut probatione indigeat, quum diuertant sæpe homines hi ad parerga in suis obiectionibus: Cæterū allata hîc ea sunt, quibus præsertim Mauritania magnam fidem adhibere solet. Atqui par est iam ad Galeni sectatores pergere.

Græcorum opinio.

Græci. Quis ignorat factionem Arabum numero imprimis

supe

superare, sunt enim longe plures quam ad unum omnes, in nostra haec usq; tempora scriptores axioma hoc sint amplexati: nisi uera sint, quae audimus, Gallorũ, Germanorum & Italorum maiorem partem ad sequentem iam haeresim, palinodiã recantando, defecisse. Quis etiã nescit uiros hos, reliquos autoritate uel longissimo anteuertere interuallo. nemo enim est, si sapiat, qui canitiem atq; experimentorum annos acutis iuuenũ argutijs non praeferat? Caeterum quum aduersa factio, tum se Galeni opinionem tenere arbitretur, tum se utrunq; expertam, quod Arabes non habent, mirum non est, si nõ Platonem unum, sed uel sexcentos ueritati postponant. Est eius unũ tantũ axioma. In omni tempore, aetate, regione, corpore, ubi interna fuerit inflammatio, uena è directo affecti loci secanda est. Quoniam ea uenae sectione, facta nimirum pro uergentia humorum inclinatione; ut ait Gal. in acu. uictu, praesentaneum uehemẽtis inflammationis discrimini remedium, quo maximè indiget, afferatur. Sed anteq̃ suũ autoritatibus uallent axioma, & rationibus, nõnulla proponuntur animaduertenda, ex quibus totius haereseos pendet demonstratio. Sect. 2. 20. aph.

Primum, auersio genus est ad reuulsionem & deriuationem. Gal. 5. meth. Auertitur enim atq; conuertitur ad alia membra sanguis, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus, illum παροχέτευσιν, hunc ἀντίσπασιν uocãt. Quod nõ negãt priores, παροχέτευσιν Cap. 3.

tamen

Ac.2. aph.10 tamen non æque atq; euacuationem nouerũt, quum Gal. reuulsionem & euacuationẽ simul fieri fateatur: at isti per proprias se uocabula hæc aiunt distinguere significationes.

Deinde ἴξιν Hippocratis inuentoris dictionem, unde κατ' ἴξιν, interpretantur, aiuntq; Choũ ea fuisse primum usum uarijs in locis, sed in omnibus rectitudinem uel directionem, uel rectũ tramitem ex Galeni sententia intellexisse, nonnunquam uerò delationẽ significare.

Com.29 Imprimis primo de ac. de ptisana loquens. Neq; in recto, inquit, thoracis tramite manet, ἴξιν eum uocant. Galenus in Com. Hippocratem, ait, ut plurimum quidem εὐθυωρίαν, id est, rectum tramitem, interdum φορὰν, id est, delationẽ dicere non ignoramus. Item lib. de phleb. Gal. Omnibus, inquit, in confesso est, quòd id κατ' ἴξιν nominet, quod κατ' ἰθὺ, id est, secundum rectum est, quum apertè ea uoce sæpenumero utatur in ea significatione. Et de arte curatiua ad Glauc. κατ' ἴξιν per κατ' ἰσότητα, quod etiam secundum rectũ est, exponit. Vtitur non raro ea uoce Hippo. in Epid.

lib.2.

Postremò per ἴξιν, ex Hippo. dictis, & Gal. interpretationibus, decursum quendam rectum intelligimus à parte in partem, inter quas familiaritas est per cõmunes siue coniuges, quas uocat Gal. uenas. Hippo. enim Epid. 7. sect. 2. Fiunt, inquit, κατ' ἴξιν dolores, præcordiorum distentiones, lienis tumores, sanguinis è naribus

Sect.1. aph.5.

bus profusiones, & anginæ rubores, tantũ ille. Nam si pleuritis in dextro fuerit latere, in dextrã clauiculam, si per consensum migret, ascendet, nõ autẽ in sinistram. Quod, idem Chous probat Epid. 6. de renis dolore loquens. Arenulæ, inquit, subsident, cruentũ mingũt, stupor eius cruris, fit quod κατ᾽ ἴξιν est, hoc est è directo. Item quum distenditur pars præcordiorum dextra, ad dextram thoracis partẽ doloris consensus peruenit, & ad sinistram, si sinistra. ut liene uel iecinore inflammato, discrimina quærimus, quibus pleuritides ab horũ membrorum inflãmationibus distinguãtur: quoniã κατ᾽ ἴξιν ad superna migrat consensus. Fiunt præterea per directionem sanguinis eruptiones, nam laborante liene, per sinistram, hepate uerò, per dextram naris partem debet fieri commodè sanguinis emißio, ut postmodum uidebitur ex lib. de phleb. Anginæ demum rubores κατ᾽ ἴξιν fiunt: experimento enim uidemus, dextra parte capitis laborãte sanguinis copia, nõ adenas colli modo dextras rubere, sed & intumescere, sed & inflammari.

Illud tamen silentio non est prætereundum, Reuulsionem & deriuationem, secum rectum hunc tramitem circũferre, ut Gal. lib. de phlebo. Porrò, inquit, reuulsionis gratia, si uenam seces, uelociter in his quæ è directo fiunt, conspicuam inuenies utilitatem. His procul dubio documentis suum habent axioma demonstratum uiri disertißimi: sed ut apertius longè ueritas pateat,

loca tum Græcorum,tum Arabum, idem manifestè dicentium afferentur,& rationes cum non mediocri efficacia rem ipsam ostēdentes. Hippo.primū. 3. Epid. lo-
» quens de Anaxione pleuritico. Octauo, inquit, die, ue-
» nam secui in cubito,sanguis plurimus fluxit,& qualem
» oportuit, dolores aliqua ex parte cessarunt, uerū tusses
» siccæ adhuc subsequebātur. Sectam Anaxioni fuisse uenam è directo positam tam Græci quàm Arabes fatentur, illi quòd sentiant materiam ad octauum fuisse iam coaceruatam,hi autem quòd semper sic fieri debeat. At quòd id tunc in principio sit factum Gal.1.de Cri.testa

cap.8. tur, totum id tempus morbi principiū appellans,in quo sputum nullū apparet.Anaxion enim nondū octauo die quicquam expuerat. Tusses, inquit Hippo. siccæ subse-

Sect.1. quebantur. Eius.2.de dispnœa, & Aph.12.Gal.meminit,priorıq; loco eum iuuenē fuisse ait, nec macilentum.

Aph.73. Hippo.item.4.de uic.ac. Si dolor,inquit, sursum penetrauerit, uel clauiculam,uel mammam, uel brachium, uenam internam secare oportet,qua dolor afficit parte.
» Quibus Gal. uerbis Sect.2.decimū Aphorismū uic. ac.
» exponit. Rursus ait in præsenti loco partis legitimæ
» sententiam elaborat, quoniam in ea prætermissum est,
» quod simul cū dictis intelligitur: adijcitq; illud, uenam
» scilicet secādam recto,latere dolente,tramite.Quod ex-
» ponit, dicens. Venam internam brachij secare oportet
» qua dolor afficit parte. Sed manifesta usus breuitate

orationem negligentius percurrit. Quo dicto Gal. Hippocratis mentem & hîc & ibi apertè explicat. Quòd si fortè sentiant Arabes has duas sententias in materia intelligi coaceruata, quis dabitur locus Galenico commentario, sic dicenti. Quum igitur superiorũ condolentia fecerit signũ, uenam in cubito eam secare oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuellere, tum uacuare poßit. Reuulsio enim principijs ex omniũ mente accommodata est, non autẽ finibus, aut statibus. 2. de ac. aph. 10.

Hippo. etiam de morbis Lienarem ait uocatam uenam, uel iecorariam in manu secare oportet, qua morbus uerget, sic pleuritis, & aliarũ partiũ dolor lenitur. Lib. 1.

Si rursus hæc autoritas de collecta iam materia sit, dent locũ in toto Hippocrate, qui ex cõtrario brachio, & nõ è directo posito secandam esse uenã iubeat. Quis obsecro dubitauit in materia coaceruata, unde mittẽdus esset sanguis? Quum tamẽ de principio cõtrouersia sit? Porrò de re certa loquutus toties Hippocrates, loquuturus etiam erat, & apertius longè de re dubia. Sed huius nostræ rationis testis est Gal. Pro uergẽtia, dicens, inclinationeq; humorũ, qui inflammationẽ pariunt, uacuationes facit Hippocrates, nempe quod dicitur. Quò natura uergit per loca conferentia eò ducere. hæc ille. Sed quod & in reuulsione intelligantur uerba eiusdem loci paulò superius citata (reuellere, scilicet, simul & 2. ac. com. 10.

euacuare) non probant modo, sed & demonstrant.

cap. 8. Gal. 13. meth. tractans de phlegmones curatione. Satius, inquit, fuerit, ubi partes quæ in ore sunt, inflammatione corripi cœperint, deriuare ad nares, pari modo uenam quoq;, ubi hæ partes sic affectæ fuerint, incidere humeralem in manu, & si ea non cernitur, mediā. Vbi uerò iecur, pectus, pulmo, aut cor ita laborat, internam. In angina autem primas in manibus, secundas eas, quæ sub lingua. At his quæ in occipite sunt affectus, etiam eam, quæ circa in cubito est, nec non eam quæ habetur in frōte. Renibus uerò, & uesica, pudendo, & utero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt, potißimum autē quæ circa poplitem, sin minus eas, quæ iuxta malleolos. PERPETVO ET IN OMNIBVS, quæ è directo est. hæc Gal. Videant Sceptici dictionibus illis perpetuò, & in omnibus, omnia corpora, temporaq; omnia Galenum complecti.

cap. de cucul. Gale. etiam lib. de phleb. Quin & pleuriticis, inquit, quæ è directo est laborantis lateris sanguinis missio efficacißimam sæpe utilitatem attulit, ex opposita autem manu omnino obscuram, aut post temporis interuallum. Quis amabo unquam materia coaceruata, uel macro corpore (si sic intelligatur) uenam ex opposita parte secuit uel Auicennicotatos?

Galenus quoq; in eodē lib. Sic efficax prōptumq; remediū, est, inqt, quæ è directo affectis partibus uenæ secantur,

cantur, afferunt: ut & qui patiũtur, & familiares ipso- „
rum sæpenumero obstupescãt. Si de tempore, in quo om „
nes id faciunt, loqueretur Gal. nõ erat quòd rem tanti faceret, præsertim quum ferè omnes ex opposita parte secti, ad decimũquartum diem imbecilles perueniant, è directa autem sæpe intra quatuor dies omnino liberentur, quod non raro sumus experti, præsertim si primo statim initio fiat. Reliquæ Galeni autoritates de directione in uniuersum capta intelliguntur, quæ postmodum afferentur, quũ Arabũ rationibus respondebimus.

Constantinus, qui uetus Hippocratis interpres dictus est, grauis sanè autor, lib. 3. cap. 12. Si uideamus inquit, apostema in lateribus sanguineum, si sequatur tempus, ætas, & consuetudo, & uirtus, festinemus ut de basilica minuamus de latere ubi infirmus patitur, antequam augmentetur. Constantinus.

Sed ut res uetustior uideatur quàm putant, Themison Asclepiadis auditor, hieræq; simplicis inuentor meritò habitus, qui fuit multo ante Galenum & Andromachum tẽpore, ex affecta parte uenam secabat, quem eo nomine reprehẽdit Cælius Aurelianus Thessali ineptissimi medici (ut Gal. sæpe in meth. testatur) imitator, Chronicõn lib.2.cap.1. Themison Cælius.

Alexander Trallianus, celebris autor. Noli, inquit, reuellendi causa aliam q̃ ab affecta parte uenã secare. lib. 1. cap. 41.

Arabicis rationibus nunc locus esset respõdere, sed

quoniam illarũ uis ex Galenica pendet rectitudine, ut ea cõtra Auicennã quippiam poßit euincere, loca prius afferentur, in quibus ipse Arabs apertißimè directionẽ laudat. Auicenna cap. de pleuresi. Ex cõmunibus, inquit rebus est phlebotomia, sed in principio ex latere diuerso, & magis festina de sophena opposita in longitudine, & post ipsam de basilica opposita in latitudine, & post ipsam de nigra opposita in latitudine, si ea non appareat, fiat cephalicæ. Deinde post aliquot dies ex latere conueniẽte in latitudine, & quandoq; etiam ponuntur uentosæ cum scarificatione super pectus, ad attrahendum materiam ad exteriora. Hæc ille. Vides ob directionem, internam malleoli uenam præponi uenæ brachij internæ oppositæ. Vt interim taceam plus quàm Milonicum corpus exigi ad tot sufferendas uenæ sectiones.

Fen. dec. tert. tract. 5.

Item cap. de apost. iecinoris. Phlebotoma, inquit, in primis, & non hæsites in hoc, quum non est prohibitio fortis, & extrahe sanguinem abundantem. Et scias quòd tu indiges in initio eius, cuius simile est in canone de repercußione, & infrigidatione, uerum tibi inest tunc ut attẽdas latus duritiei, ò quàm uelociter respondet duritiei. Ad hæc, In præfocatione nimirũ uuluæ, & oportet, ait, ut fiat phlebotomia ex basilica partis quæ sequitur declinationem matricis. Si autem non declinat ad latus, imò cõtrahitur ad superiora, tũc ibi superest

Fen. 14. ter.

Fen. 21. tert. tra. 4. cap. 15

perest, ut phlebotomes quamcunque duarum uis, aut ambas. En rectitudinem.

Item fen.22. tert. Et scias quòd phlebotomia sciaticæ uenæ magis est iuuatiua in sciatica quàm in sophena plurimum, nisi sit dolor leuior extensus in syluestri, imò sit purus rubeus, cuius tensio est ex domestico, quia erit sophena magis conferens ei, q̄ uena sciatica, quamuis ambæ sint duo rami uenæ unius sicut basilica & cephalica in manibus. Vbinam apud Galenum clarior directio quàm apud hunc, licet hæc sentencia non admodum quadret cum Galeni com. 36. sextæ Apho. Trac.2. cap.25.

Demum fen. 4. pri. Quandoque oportet habere sollicitudinem loci & societatis, & in eo quum tota materia est euacuata, & quū euacuatur adhuc & est in descensu cum quatuor conditionibus materiam extrahemus. Prima, diuersitas est partis. Secunda, societatis. Tertia, rectitudinis, ut in ægritudinibus hepatis ex dextra minutionē facimus, in ægritudinibus splenis, ex sinistra. Quarta, elongationis ne per ualde propinquum, extrahatur membrum. Qui in his, Hippocratis ἕξιν, & Galeni ἐυθυωρίαν esse negauerit, eum sensu communi carere non negabimus. Video iam Sophistas hæc irridentes, at Diogenis dicto respondemus, nos, licet irrideant inepti, non irrideri. cap.1.

RATIONES GRAECORVM.

Si Arabum princeps directionem agnoscit, Galeni


sequutus, in iecoris inflammatione, suffocatione uteri, coxendicis dolore, & morbis alijs, eandem in pleuritide agnoscat necesse est. Quod si eam in alijs morbis materia coaceruata obseruandam intelligant, dent locum Auicennæ id in illis asserentis, quum in pleuritide apertè tempora distinguat, alioqui aut eum mutilũ, aut nõ in omnibus circumspectum esse fatebimur, si nulla existente discriminis ratione hic directionem execretur, illic amet.

Rationem exigunt Græci quare magis festinum remedium ex Auicenna est, malleoli interni uenam secare, quàm brachij oppositi. Si respondeant, quod Medicorũ uulgus ex Mesues autoritate solet, nimirũ quòd in plethora moderata ex opposito brachio, in immoderata autem, ut in Milonica ex interna malleoli fieri debeat.

Respondeant rursus cur in Milonica erit ex pede magis festimum, quàm ex brachio, & in mediocri cõtra? Negare non possunt, quin illud prius rectitudo pariat, uel nostræ percontationi faciant satis, modo ne λῆρον, ut solent, ληρῶσι.

Præterea nulla efficax ratio est, quæ Arabes cogat reuulsionẽ ex opposito brachio facere, nisi ea forsan sit, distare nimirũ eam partem à loco affecto longè magis, quàm è directo positam, quæ distantia necessaria quidem est in principio, non ex Auicenna modo, sed ex ipso eodem Galeno. At si mathematica demonstratione di-

stare



stare ex æquo illas duas uenas à loco dolente probemus, non referet ex hac uel illa uenam secare. Sit schema tale, ubi c b f uena caua est, parti utriq; communis, b a uena nutriens costas, a pars affecta. Deinde rem sic demonstro b c e spaciũ, æquale est illi, b c d, quum duæ internæ brachij uenæ à cõmuni caudice nempe c b f manent, & per simile spaciũ æqualisq; longitudinis nimirum brachium utrunq; diffundantur, sunt igitur æquales. Quod agnouerunt Nicolus & Gordonius. Item b a uenula costam nutriens, atq; ad inflammationem perueniens, & cum ea reliquæ uenulæ, quas ibi adesse communiscuntur, communes sunt parti utriq;. Nam si b a spacium iungatur b c e spacio, fiet spacium a b c e, æquale nimirum illi, a b c d, utrunq; enim ab eadem radice nempe ab a originem habet, desinitq; in e uel d æqualiter distantes à caudice cauæ uenas, si enim æqualibus commune quippiam addas, æqualitas non uariabitur.

Ad hæc omnibus cõmune est humore coaceruato secare è directo uenam. At in principio pleuritidis, licet ad inflammationis locum nondum materia fluxit, fluxit tamen magna ex parte & copiose quidem, ad inflammationis latus. Nam Gal. de Tum. præter nat. & de inæq. intemp. & 3. technes docet in inflammationibus à uenis cap. 115.

c 5 prius

prius magnis ad minores fieri humorũ fluxus, donec ad eas perueniat, quæ sensum antea latebant, & inde humores, uasis non potentibus cõtinere, diffluũt efficiuntq; abscessum. Si igitur ad uicina prius, quàm ad affectum locum humor fluit, quũ secabis uenas, à directione non recedendum est, quoniam materia iam fluxit licet nõ ad inflammationem, ad latus tamen.

Item si distantior locus eligendus ad phlebotomiam est, hoc quidem fit, quòd promptius remedium pleuriti
2.de ac. di euacuatione simul & reuulsione cita, quam Gal. exi
10. git, afferri uideatur, at id quidem ex contrario brachio non sequitur, quũ sæpissimè ad id conspiciamus humorẽ trahi uenæ sectione non euacuatum sed reuulsum, & à dextro ad sinistrum pleuritidem commutari, & contra quod non raro uidi, & Brissotus sæpissime sibi contigisse testatur.

Quòd si experientia quicq̃ ualeat, non semel præsentibus nostris discipulis partis affectæ cubitũ in principio secuimus, quum ante horæ dimidiũ fuisset ex aduersa parte alterius præcepto uena secta, ex qua sanguis fluxerat aut incorruptus, aut nõ admodũ infectus, quum noster, obstupescẽtibus omnibus à pure nihil differret. Hoc enim efficacius remedium esse directionem adeò probat, ut & demonstret.

Curtij collationem à Turino nõ intellectam nõ grauabor schemate enarrare, ut intelligatur, sit fons a ex

quo

quo duo riuuli b & c à dextra & sinistra parte fontis manẽt, sintq; e & d loca uicina & directa riuulo dextro & sinistro, quis tũc ignorat citius aquã refluere b riuuli, in fontem a, per d, si excauetur, sinaturq; aqua per eam partem fluere quàm per e, & contra, si contra fiat? Vena caua fons est, b & c uenæ nutrientes costas, d & e internæ brachiorum. Vim aliorum argumentorum inuenies in prima pro Græcorum parte ratione.



Vt iam sub epilogo omnia complectar, quatuor sunt euacuationis modi, primus ἀντίσπασις siue reuulsio, quæ fluxuro conuenit humori, aut fluere incipienti. Secũdus παροχέτευσις, siue deriuatio, de qua Gal. 6. Epid. Deriuationem, inquit, appellare consueuit Hippo. quũ humor aliquis uacuatione indigens, neq; per cõuenientem locum fieri cœperit, neque ualde procul à conueniente, neque ad remotißimũ. hæc ille. Conuenit deriuatio, ubi humor partẽ obsedit. Tertius, ex ipsamet particula euacuat, qui fit malo inueterato. Quartus, reuellit simul & deriuat, fitq; quum humoris pars adhuc fluit, pars tamen iam locum infestat. In præcautione, ubi primus uacuationis conuenit modus, uenæ sectio à loco distantißimo fieri potest, quod aliquãdo præcepit Galenus, ut ex pede, præsertim si ex mensiũ aut hæmorrhoidũ suppreßione annis nonnullis pleuritis soleat infestare. Sed quòd & in ea (nam in reliquis sole clarius est) sit recti

Sect. 2. com. 3.

tudo

tudo animaduertenda, Paulus Aegyneta lib. 3. cap. de lienis morbis, per ἀντίσπασιν, ut ipsemet ait, id est, reuulsionem, in inflammatione lienis uenam secat brachij è directo positi. Aut enim Paulũ illum, quem toties Auicenna citat, errasse dicendum est, aut diuersio, quam uocant, ex eiusdem partis brachio fieri potest, ac debet.

Dilutiones Arabicarum argumentationum.

His absolutis par est iam Arabibus ipsis satisfacere, ne arbitrentur Graecis doctas obiectionũ dilutiones deesse. Imprimis Hippo. ibi, ut uidere est, sole clarius, agit de praecautione, non autem de morbi re infestantis curatione, solentibus namq; laborare pedibus, ex brachijs, & contra brachijs, sanguinem ex pedibus soliti sumus reuellere, ne ad partes humor refluat, ad quas de more solitus est. At faciendum aliter est, quum iam dolore laborant, etiam si laborare incipiant, licet Gal. ex contrario loco uenam secet, semper Hippocraticam ἴξιν praecipit obseruandam. Quod etiam responsum uolumus sequenti etiam Choi autoritati in Epid. & Galeno ipsi. 5. methodi, ibi enim oppositio obseruatur, nam ab internis ad externa trahitur sanguis. Item ab inferioribus ad superiora. Quin & si Manardũ audiamus, recti & sinistri rationem inueniemus. Quòd si delicatissimo cuipiam haec non placuerit ratio, placeat mathematica superius allata demonstratio, quae quum utrunq; brachiũ aequè ab affecto latere distare probet, in utro

uis

nis secetur uena, procul à dolitante membro fieri sanguinis mißionem intelliget. Quod si statim Galenus idem obtruditur 4. metho. quòd ex longinquo primum præcipiat fieri uenæ sectionem, mox ex ulceratis partibus: respondeat ipsemet Auicenna, cap. proprio, qui cucurbitas loco affecto aliquando admouet, id sanè erit ex ulcerata parte euacuare, quū res exigat, alioqui seruabimus nostram cum rectitudine oppositionem. Qua responsione, & quintæ cōmentario. 68. & lib. de phleb. puto satisfactum. quum ad contraria fiat nostra reuulsio, sed κατ' ἴξιν. Sic intelligendus Celsus. Ocelum oppositionē non agnoscūt Arabes in uena brachij directi.

Illud Artis paruæ γελοιότατον. Non enim ex affecta parte secatur uena, sed ex brachio ab affecta parte admodum distante. Ibi enim Gal. exemplum oculi affert inflammati, ubi quū poßit fieri sanguinis mißio, uel ex uena frontis, uel ex ipsis affectis palpebris, è distantioribus prius uenis nempe ex brachiorū internis fieri doctè præcipit, mox ex propinquioribus: sed argumentationem hanc è medijs natam Gentilis Extrauagantibus dixeris.

Locus ille. 5. meth. ubi de reuulsionum differentijs agit Gal. nihil contra Græcos facit, quum non semper ubi ægritudo in dextra parte est, debeat ad sinistram fieri reuulsio. Sat enim est fluente materia, fieri ad contrarium reuulsionē, unam quidem illam ex multis, sicq;

in plen

in pleuritide fit reuulsio, ut dictum est in prima dilutione.

Archigenes nõ magni est faciendus, præsertim in rebus apertißimis lapsus, ut Gal. in lib. de locis aff. & secundum locos sæpe testatur. De Aëtio Syro hoĩe, multoq; post Gal. tempora scribente, quid mirum quòd ad aliorum opinionẽ diuerterit, nec id quidem ubiq; quum alibi Arabs uideatur, alibi uerò ueluti in hac re dubius rectitudinem Galenicam obseruari iubeat.

His responsionibus, & rationi primæ Arabum satisfactum arbitror, quæ nimirum ex quatuor grauißimorum autorum pendebat autoritatibus.

Quod autem obijcitur mox, de superiorum & inferiorum collatione, differunt maximè inter se inflammationes externæ & internæ, non enim est eadem ratio pedis inflammati & internæ costæ. Quin & scarificationis, & phlebotomiæ diuersa est consideratio, non sanè tam exactam rectitudinis curam in scarificationibus quærimus. hic Turini Achilles pelia caret, q & si ἴξις exigatur, filamentorũ anatome inspecta, inuenietur.

Illud de pleuritide collata reliquis inflãmationibus paruam uim habet, nam in alijs locus est distantior, & propinquior, ut ratio proponit. In pleuritide autẽ brachijs æquè distantibus à patiẽte membro, ubi uena propinquior, ubi distantior?

Brissotus Græcorũ

Ad Brissoticæ directionis antiquationem. 36. cõmentario

tario sectionis sextae uallatam, non difficulter responderi potest, si dextras parteis cum dextris commerciũ habere ex Galeno ipso intellexerimus, & sinistras cum sinistris. Age quum ex iecore solo, non autem ex liene ad superiora per cauam tendat sanguis, cur Gal. has duas sequentes protulit sententias? Tertio de Crisibus. Soluit, inquit, sufficienter lienis & iecinoris inflammationes sanguinis è naribus profluuium, quum hæc uiscera unà cum acutis febribus habent inflammationes. Et omnes quæ sub præcordijs fiunt inflammationes acutæ & calidæ fluxu sanguinis nariũ finiuntur, iudicantur'ue. Oportet autem per directum sanguinem fluere, ex dextra quidem nare, iecinore affecto, & locis sub dextro præcordio positis, ex sinistra uerò nare, liene, & locis quæ in ea parte sunt affectis. Item lib. de phleb. Quibuscunq;, inquit, eruptio sanguinis secundum rectitudinem accidit, summum commodum ægrotantibus affert. Quòd autem κατ' ἴξιν pro eo quod est secundum rectũ dicit, omnibus in confesso est, quum apertè hac uoce sæpenumero utatur in hoc significato. Quibus uerò contra erumpit sanguis, nihil iuuat, aut interdum nocet, quòd scilicet uires citra morbi leuamen deijciat, atque exoluat. Non enim in liene ex dextera nare erumpens sanguis, nec in iecore ex finistra aliquam affert utilitatem, sed reuulsio in directum adhibita euidentem utilitatem celeriter ostendit, quæ autem contra nequaquam.

partes scripsit publicauit primus.

Cap. 4. ats 3

Dextra

" Dextra igitur nare sanguinem erumpente, ad dextrum
" præcordium fixa cucurbitula claré celeriterq; sistit, si-
" cut ad sinistrum, é sinistra, tantũ Gal. Caua uena utriq;
parti est & supernæ & infernæ cõmunis, atq; una so-
la, quæ in dextras & sinistras parteis diuaricatur, nec
alia é liene prodit. At uides quàm se mutuò partes cor
poris respiciant, dextræ scilicet dextras, & sinistræ
sinistras. Quod non mediocri animaduersione indiget,
nec parum ad huiusmodi ratiociniũ facit capillamenta
Fibræ. uenarũ & arteriarũ fibras mente uoluere. Sunt enim
fibris uasa contexta, rectis nimirum quibus attrahunt,
transuersis, quibus excernũt. Fibræ siquidem appellan
tur partes tenacioris solidæq; substantiæ oblongæ, fi-
lisq; persimiles.

Philosophorũ axioma, idem quatenus idem, uarios
nõ posse effectus producere, nõ est quòd Græcorũ amo-
liatur sententiam, uidemus enim ex remotione causæ re
moueri etiam non modo morbos, sed & symptomata ex
eo sequentia, non enim in Græcos quicquam facit axio-
matis istius sensus. Dicimus ergo ex Galeni mente se-
ctionem uenæ brachij affecti lateris, esse auersiuam &
euacuatiuam, & quodammodo deriuatiuam, quum pro-
pinquior nõ detur locus ex quo sanguis mittatur. Qua-
tenus nanq; locus non maximè distat, dicetur deriua-
tio, quatenus ad contraria, reuulsio, quatenus ab affe-
cta parte euacuat, euacuatio. Cernant, quàm Turini

Hector, ut Troianus ille, bigis raptetur.

Non negamus à fronte ad occiput uenã nullam mag nam permeare, quæ utranq; partẽ nutriat, licet multæ inueniantur minutißimæ, quæ tum hinc inde prodeũtes caput intertexant, tum etiam à iugularibus euacuantes cõmunibus quidem illis, toto capiti (licet per dextra & sinistra) magnã sanguinis quantitatẽ ad cõtrariũ uerge re, sic sectæ, faciũt: quæ rectitudo nõ parui est momenti.

Loci distantiam æqualem esse diximus, & auersionem Galenicam simul inueniri, & quemadmodum dolor attrahit, sic per uenæ sectionem sanguis euacuatur, uel in pleno corpore. Quod postremæ argumentationi facit satis, illud est, locum utrunq; æquè contrariũ esse affectæ parti, quo nomine non maiorem fieri hinc uel inde ad locum attractionem: sed ἴξιν maiorem, promptiorem curam progenerare.

Græcorum factio adeò inualuit nostro iam sæculo, ut uel seniorum grauiorumq; medicorũ phalange, illius antiquationem pertinaciter postulante, decreto sancitũ sit, ut unusquisq; pro autorum suorũ & sententijs, & arbitrio uenam secet. sanè acutis uallata hæc est rationibus & autoritatibus, dictisq; Hippo. & Galeni similior, quum altera superficiariam uideatur habere euidentiam. nec negat interim Græcia, dari corpus in quo uena è directo nullo modo secari debeat, nimirum brachio in ea parte deficiente, uel uenis brachij.

Tertia opinio.

ANDREAS autem Vuesalius, uir quidem de re medica bene meritus, nouam excogitauit sectam, secandam esse nimirũ uenam internam brachij è directo positi, inflammata aliqua quatuor supernarum costarũ, iuxta Græcorũ sententiam. Quacunq; uerò octo infernarum semper internã dextram, quòd hæ ex uena azygo, à dextra uenæ cauæ parte prodeunte, nutriantur, unde directiorem esse locũ semper dextram axillarem utriq; tali pleuritidi, quàm sinistram.

Non negarim acutè eum rectitudinem excogitasse, sed non admodum uerè, nam si in superioribus seruanda dicta ἴξις est, non uideo cur & in inferioribus non debeat eadem obseruari. In primis dextræ partes, ut diximus, cum dextris commercium habent. Deinde sanguis ab azygo in cauam remeat, neutri parti directior, aut propinquior. Postremò azygos ipsa à medio non magis distat, quàm eius occupare potest latitudo, quod ferè nullius momenti spacium est, nempe unius mediocris ueniculæ. Adde sentire nos, nõ magis distare axillarem sinistrã à damno laborãte dextra parte, q̃ laborãte sinistra, nam usq; ad azygæ uenæ initiũ æqualia sunt spacia, ut ostendimus, reliqua autẽ oĩa cõmunia. Quin & propinquitatem Gal. nõ tanti uisus est facere, quàm directum aspectum, nam deficiente axillari mediam uel humeralem eiusdem partis secari iubet. Scimus enim & aduersam axillarem propinquiorem esse affecto loco

..de ac. 10.

quàm

quàm humerariam eiusdem partis. oriuntur siquidem ambæ axillares ex uena caua, priusquam in iugulares diuidatur, humerales uerò, postquam in iugulares est diuisa.

In hanc sententiam pedibus nuper apertissimè ire uisus est Fuchsius, uir nostra ætate & doctissimus & disertissimus, in cõmentario de uenæ sectione, quũ tamen huius negocij nullam antea fecisset apertam mentionem. Porrò res tam necessaria, tamq; animaduertenda, non erat à Galeno silentio prætereunda, & Hippocrates haud dubiè errasset. 4. de ratione uic. ac. absolutè docens fieri debere uenæ sectionem in pleuritide, qua dolor afficit parte, non indicans rectitudinis huius obseruationem, nec idcirco inuehimus mathematicam diametralem'ue Arabum directionem, sed naturalem, quam secundum fibras & filamenta uenarum arteriarumq; Hippocrates intellexit, quin & Galeni dictũ 13 Meth. de scarificatione pedis aduersi aliàs aliter quàm nunc, hanc opinionem sequutus interprebatatur Fuchsius. Quòd si dicat Vuesalius hæc omnia nihili apud eum esse, sed tantum filamentorum & fibrarum azygæ rectitudinem esse animaduertendam, quis ignorat azygon secari in partes dextras & sinistras, uenulasq; ex ea dimanantes, suas fibras uersus partes ad quas tendunt directas habere, quæ non magis dextrum latus respiciunt quàm sinistrum. Item quis dubitat uenam

ipſam azygon fibras habere ſuas nō magis ad dextras partes quàm ſiniſtras tendentes, ſed ex æquo, ut & uenam cauam, quo nomine dextræ fibræ dextrū brachiū, ſiniſtræ uerò ſiniſtrum reſpicient.

Quarta opinio. Sunt nonnulli, qui contra Græcos ipſos Arabésque ſentiunt. Aiunt enim in phlethorico corpore ſanguinem mitti ex affecta parte debere, in macilento bilioſo'ue ex 2. vic. ac. 17. aduerſa, idq; ſic probant. Præcipit Hippocrates ſanguinem fluere ſinendum, donec à nigro in rubrum, aut à rubro in nigrum conuertatur, quod quidem fit, quoniam ſanguis antea crudus, morbo utpote excalfactus rubicundior fit aut flauior, qui ſi talis fuerit, in nigrū aduſtione conuertitur. Atq; ut morbi materia uel eius maior pars extrahatur, par eſt ut ad flauitiem, nempe ad ſupercalfactionem, uel ad nigredinē, hoc eſt ad aduſtionem, quam facilè extirpemus, perueniamus. at id macilentorum natura ferre nō poteſt, fiet igitur ex aduerſa parte, ex qua fieri non eſt neceſſarium, quod uellem Manardus oſtendiſſet, qui in hanc ſententiam partes Arabū quodam modo defendens, deflexit. Age obſecro non iubet Galenus aliquando ad animi uſque defectionem ſanguinem mittere, aliquando autem languentis uiribus expenſis parcius agere? Nonne de ſanguinis miſsione copioſa uel moderata, ſed de ipſa ſimpliciter ſan- 4. vic. ac. 17. guinis miſsione Hippocrates in acutis morbis, inquit, ſanguinē detrahes, ſi uehemens morbus uideatur, floruerítq;

ritq; ægrotanti ætas, & uirium fuerit robur? Sed ad rem magis Gal.lib.de phleb. Multum, inquit, iuuat lienem afflictũ sanguinis ex sinistra manu detractio, Præ » stat tamen non semel quantum conuenit extraxisse, sed » id in duos dies partiri satius est & inferiuspauló. Præ » stat nisi quid urgeat, priori mißioni prius detrahere, » iterumq; eam repetere, imò si libet, tertió. Quod si hæc » satis nõ faciant, faciet illud forsan. Quum interdũ uirtus tantum uacuare prohibeat, parti ipsi, quæ phlegmone obsessa est, minus quidem auxiliũ futurum scire oportet. Quo fit ut non uirtutem exoluere melius sit, quàm sanguinem uacuare redundantem. Hæc Gal. de pleuritide loquens. 2.ac.10

VENA secta, tum iuxta robur languentis, tum morbi uim, Clyster statim aluo infunditur leuis, si non, ut conuenit, sua sponte deijciat. Ante uenæ autẽ sectionem, graues autores nullam clysteris fecerunt mentionem, sed post: cõtrà uerò sæpe sæpius fieri hodie uideo. Quin & euacuationem, quæ pharmaco fieri solet, præter Coi sententiam damnauit Gal. licet dolor ad inferiora declinet, metuens nimirum, autore Paulo, alui conturbationem. Quod si forsan quispiam id pertinaciter facere uoluerit, non id prius uel lenientibus medicamentis, ut caßia & manna, quam uocant, & id genus alijs tentet, quàm pectoris materiam prius expulsioni reddat aptißimam, quod fiet rebus sputi excreationem Curatio.

Sputi eductioni facilem reddentia. facilem reddentibus, ut sunt adianti, uiolarũ, & nymphææ serapia, diapenidiôn, diatragacãthæ frigidæ, saccarum uiolaceum, trochisci pectorales, bechicæ pillulæ, & ecligmata, quæ omnia tenues serosos atq; acres humores, craßiores & proinde exitui aptiores reddant. Hæc sola præparatio bilis in pectoris affectibus exigitur: in

Communis lapsus. alijs autem locis admodum, contra multorũ sententiam, atq; adeò ipsius Auicennæ in Rasem placita, superuacanea est. Humor enim biliosus in solo pectore incrassatione indiget, & maiori, quò maior in eo fuerit serositas. Quòd si in frigido uel senili corpore pleuritis aduenerit, aliquanto conueniunt calidiora, sed cum illis mixta

Ecligmata. superioribus. Ea sunt succus glicyrhizæ, sirapiũq; eiusdem, ecligma quod sanum uocant, quod cum praßij aut hyssopi serapijs, uel cum oxymelite simplici, composito, uel scillitico, pro maiori uel minori materiæ craßitiæ accommodatißimum est. Forinsecus post corporis uacuationem fomenta adhibenda sunt, ut sacculi ex floribus chamæmeli, anethi, meliloti, phlomi (tapsum barbatum dicunt) seminibus lini, & fœnigræci, milio, &

Fomenta. furfure constructi. Conueniunt etiam uasa ænea ex horum decocto plena, aut spongia in dictis rebus intincta. Quæ omnia in initio non adhibentur, nisi tentandi, ut aiunt, aut discutiendi, si leuis causa fuerit, gratia.

Emplastra. Ad rem eandem faciunt emplastra ex farina hordei, fœnigræci & seminis lini, oleis'que liliaceo, & chamæmelino.


melino. Sunt qui ad cucurbitulas cum scarificatione mi grent post dies aliquot, adhuc dolore perstante, sed non nisi quum humor ad externos cutis musculos repere ui detur. Pectus ungi solet oleis liliorum alborum, amygdalarum dulcium, & chamaemelino, ut humor etiam facilius praeparatus foras mittatur. Cerata ad eandem indicationem ex filio Zachariae, & diachylôn magno sunt quae construuntur. Haec de uera pleuritide. Notha autem calorificis fomentis & dignoscitur & curatur.

Cucurbitae.

Linimenta.

ERRATA.

Fol.2.fo.2.li.2.pendit, lege pendet. fo 3 fa 2.li.23 inflammationum verò tumores, lege tumorũ verò inflammationes. fo 4.li.7.errauit, lege citauit.fo.9.li.11.iniectioni, lege mixtioni. fo.9. fa.2. li.15.significant, lege signant. fo.10.fa.2 li. 7.in margine. Fen de pul. lege doctr.



PLEVRITIDIS AD CHIRVR-
gum, *Epigramma, per autorem ipſum.*

Pungo latus fateor, ſed tu quoq; brachia pungis,
Quod ſi noſtra dolet punctio, nónne tua?
Quum tu præterea uitam cum ſanguine perdas,
Dic, homines, quàm tu, cur magis ipſa neco?

